

libus in Curias Ecclesiasticas sensim intrasse; quamvis non reperiatur ulla Constitutio Canonica, quæ præcipiat Judicibus Ecclesiasticis personam publicam conscribendis actis habere ante Constitutionem Concilii Lateranensis sub Innocentio III. relatum in *Cap. 11. De Probat.*

IV. Conqueritur hic Concilium, quod quidam Judices aliquando in præjudicium alterius partis aliqua falsa asserant; & quoniam contra falsam asserionem iniqui Judicis (ait) innocens litigator quandoque non potest veram negativam probare: cum negans factum per rerum naturam nulla sit directa probatio: ne falsitas æquitati præjudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati, statuit Concilium, "ut tam in ordinario judicio, quam extraordinario iudex semper adhibeat aut publicam (si potest habere) personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa Judicii Acta conscribant: videlicet citationes, dilaciones, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, conclusiones, & cetera quæ occurrerint competenti ordine conscribenda, loca designando, & tempora, & personas.

V. Persona publica, de hac hic agit Concilium Lateranense dicitur in *Cap. 11. De Rescriptis in 6. Notarius*, coinciditque cum eo qui hodie solet dici *Grapharius* vel *Secretarius*. Unde & in antiquis Statutis hujus Universitatis, qui hodie vulgò vocatur *Secretarius*, dicitur *Notarius Universitatis*.

VI. Itaque conformiter ad Decretum Concilii Lateranensis in omni judicio sive ordinario sive extraordinario hodie habetur persona publica, sive *Grapharius* vel *Secretarius*, qui juxta Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis *tit. 5. art. 2.* debet "scribere & subscribere omnes citationes, monitionesque, inhibitiones, arrestationes, commissiones, executorias, decreta, sententias & reliqua omnia, quæ tam ad officii, quam partium instantiam, aut alias sub nomine Officialis, expediuntur, idque omnino sub data illius diei, quo decreta fuerint.

VII. Cum verò parum esset ad finem assequendum, quem in citato Decreto intendit Concilium Lateranense, Acta conscribere, nisi etiam diligenter custodirentur ut ex iis semper veritas haberi queat, ideo addunt dictæ Ordinationes eodem articulo. "Conscribetque & *registrabit* omnia Acta judicialia, eaque ac Partium munimenta exhibita judicialiter, (ne alioquin ad damna & interesse Partium teneatur) diligenter conscribat.

VIII. Et *art. 7.* "Grapharius in speciali registro omnes sententias, tam diffinitivas, quam interlocutorias, propriam manu registrare tenebitur; aut si per alium faciat, unicuique sententia, sic registrata subscribet.

IX. Illud quoque punctum in formula juramenti à Graphariis præstandi exprimitur his verbis: "Acta processuum & causarum diligenter & veraciter registro meo inscribam, & postquam inscripsero, nihil addam, vel delebo sine decreto Officialis: exhibita sine ejusdem decreto non restituam, non exhibita inscribere non permittam.

Similis registratio sententiarum & Actorum judicialium injungitur Graphariis Curie Brabantie in ejusdem Curie Ordinationibus *art. 126.*

X. Addit Concilium Lateranense in allegato Decreto: "Et omnia sic conscripta Partibus tribuantur, ita quod originalibus vel publicis fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari.

Hoc & praxis observat, ut nimirum copia Actorum Partibus tradantur auctoritate judicis; & originalibus vel publicis registris in quæ Acta sunt relata, manentibus in Grapharia.

XI. Porro Actis à Graphario conscriptis sive signatis plena fides adhibetur, tamen si nulli præterea testes adhibeantur; uti post Glossam ad citatum *Cap. 11. De Probationibus* communiter tradunt interpretes, & praxis confirmat teste Simone van Leeuwen in *Conf. Forensi parte 2. lib. 1. cap. 8. num.*

f. qui monet tamen *num. 6.* id restringendum esse ad *meta judicialia*, & quæ proprie sunt de Actis, & ad iudicium expeditionem pertinent; secus in extrajudicialibus, aliisque quæ his extrinsecus inseruntur. Hanc distinctionem expressit quoque glossa loco citato dicens: "Et licet circa *judicia* credatur scrip-turæ tabellionis, tamen circa contractus non creditur ei nisi habeat testium subscriptionem,

XII. In his nihilominus consuetudo & stylus Curiarum singularium attendi debent, qui nonnumquam præter Grapharii aut Secretarii fidem, etiam signaturam judicis aut sigillum publicum requirunt, ut Litteris sive Actis plena fides habeatur.

XIII. Habent & Episcopi suos passim Secretarios, qui sunt deputati ad conscribenda instrumenta de Actibus ipsius tantum Episcopi: puta de collationibus vel institutionibus, vel quæ cooperante Episcopo fiunt, ut de resignatione Beneficii in manus Episcopi facta, vel præsentatione Patroni, vel quavis insinuatione ei facta; vel de acceptance collationis, in præsentia ejusdem Episcopi facta, & similibus ad ipsius Episcopi officium spectantibus. Hi licet in his negotiis censeantur *Notarii* & personæ publica; nequaquam tamen vulgò & simpliciter *Notarii* dicuntur; neque extra dicta negotia possunt instrumenta in qualitate Notariorum conscribere; sed habentur pro privatis personis: quemadmodum Actuarii sive Grapharii extra rem forensis. Neque similes Prælatorum Secretarios solere intelligi in Regis Edictis vel Curiarum Ordinationibus nomine *Notariorum*, communiter tradunt Pragmatici & communis praxis evincit; uti nec Scribas aut Secretarios Collegiorum Ecclesiasticorum, ad negotia dumtaxat horum Collegiorum expedienda deputatos; sed tantum Notarios *communes* ad quemcumque negotia extrajudicialia vel Ecclesiastica vel Civilia auctoritate publica deputatos: de quibus agetur titulo sequenti, ubi de probatione per instrumenta tractabitur: eod quod fides instrumentorum præcipue à fide Notariorum dependeat.

XIV. Quandoquidem Grapharius seu Secretarius sit persona publica iudicis in scribendis Actibus deserviens, debet, ut ipse iudex, esse in causa indifferens, atque utrique Parti fideliter servire; neque uni magis, quam alteri favore.

XV. Unde juxta Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechlin, iurejurando promittit Grapharius: "Litigantibus, vel litigare volentibus directè vel indirectè consilium non dabo: Dicta & depositiones testium, fideliter excipiam." Et *tit. 5. art. 9.* Graphario præcipitur, "quod memor juramenti sui, secretus erit, neutri partium se additum, aut partialem exhibebit, sed eundem omnibus; neutri etiam consilium directè vel indirectè dabit.

XVI. Hæc Graphiariorum indifferentia hodie maxime necessaria est; eod quod moribus nostris in plerisque judiciis, præsertim subalternis & Ecclesiasticis, Grapharii Adversorum & Consiliariorum vicem ferè sustineant; frequenterque iudices ab ipsis instructionem accipere debeant: uti rectè notavit Simon van Leeuwen loco citato.

XVII. Hinc facile intelligitur, & quotidiana reperiencia nimirum evincit, bonum iudiciorum ordinem, quin & rectam justitiæ administrationem plurimum dependere à peritia & integritate Graphiariorum & Secretariorum: ut propterea merito solliciti sint, quibus ipsorum electio vel deputatio competet, peritos & integros ad hujusmodi officia assumere.

XVIII. Illud quoque notandum, quod licet olim Scribarum sive Graphiariorum (quos *Tabelliones* vocant Veteres) reputaretur vile officium & servile, hodie tamen officium ipsorum sit honorificum, & in honore habeantur: quia eorum fidei publicæ tabulæ, periculaque magistratum committuntur; uti notat Simon à Groenevegen ad titulum Codicis *De Tabulariis, Scribis, &c.*

XIX. Notarios sive Grapharios Acta scribentes in exigen-

exigendo salario metas rationis jam pridem excessisse conque-ritur Bonifacius VIII. in *Cap. 1. §. Notarium De Rescriptis in VI.* mandans ut iudex prout ad ipsius officium spectat, prudenter restatnet.

XX. In plerisque Curis tam Ecclesiasticis quam Civilibus salaria Graphiariorum & Secretariorum taxata sunt.

Verum cum hæc taxatio ita plerumque concepta sit, ut in singulos terminos, nec non paginas & lineas copiarum Actorum salarium sit constitutum, natum est fieri, ut lucri causa lites in longum protrahant, copiasque Actorum extendant, & multiplicent cum maximo Partium incommodo: idque vel præcipue timendum in Curis tam Ecclesiasticis, quam Civilibus, in quibus pauciores causæ occurrunt, & quibus præficiuntur sæpius Grapharii & Secretarii tenuis conditionis & fortunæ: qui ex proventibus suorum officiorum se & familiam intertinere coguntur.

XXI. Interim hiæc iniustitiis occurrere volentes sæpius citatæ Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis *tit. 5. art. 4.* statuunt: "Grapharius ab omnibus superfluis abstineat, ideoque nec dies festos ad substantiam rei non necessarios apponat, nec dignitatem iudicium Committariorum, vel litigatorum, vel Procuratorum sapienter repetat. In depositionibus testium, aut extracto quocumque processibus inserendo, abstineat à superfluis præambulis, longisque, & inutilibus præstationibus, & aliis omnibus, quæ ad principale negotium non pertinent; nec tenorem totum ejusdem instrumenti citationis, vel cuiusque scripturæ unquam reteret, sed si tenore semel inserto, ejus alibi mentio facienda sit, fiat remissivè, secus inserta non veniant in taxam.

Et rursus *art. 8.* "Nullum salarium consequitur Grapharius pro Actis male, & illegibiliter, vel ordine præpostero conscriptis, sed omnes illæ expeditiones intra Acta illegitima dependantur.

Hæc in ipso quoque juramento à Graphario præstando exprimitur his paucis verbis: "Causa lucri vel ultra consuetum modum Acta non extendam,

CAPUT V.

De Advocato Fiscis & Procuratore officii sive Promotore; nec non Apparitoribus.

1 Apud Romanos frequens mentio Advocatorum Fiscis, & quod eorum officium.

2 Hi hodie vocantur Advocati Fideles.

3 His junctus est Procurator Fiscis vulgò Procurator Regius.

4 Etiam Curie Ecclesiasticæ ceperunt habere suos Advocatos Fideles & Procuratores officii, qui Promotores dicuntur.

5 Unde derivatum nomen Promotoris.

6 Formula institutionis Promotoris Curie Ecclesiasticæ.

7 Quod sit officium Advocati Fideles Universitatis Lovaniensis.

8 Promotori incumbit promovere causas: ad publica Ecclesiæ juramenta spectantes.

9 Hodie officium Promotorum præcipue consistit in detegendis & prosequendis excessibus ad jurisdictionem Ecclesiasticam spectantibus.

10 Saculo decimo quarto plures querebantur innocenter à Promotoribus vexari.

11 Qualiter his quereis occurrendum censuerit Concilium Noviomense Provinciae Remensis.

12 Procuratorum excessus sæculo quarto describit Nicolaus Clemens.

13 Excessus hi nonnumquam hodie aboliti.

14 Promotoribus injungitur ut non nisi habita informatione, magna-que discretionem quemquam conveniant.

15 Quæ cautione procedendum contra personas Ecclesiasticas & boni nominis.

16 Vi juramenti Promotor Curiarum Ecclesiasticarum nullum potest aggredi super excessibus nisi quem verè reum de excessu credit.

17 Promotor super causis agendis debet conferre cum Advocato Fiscali.

18 Advocatus Fidealis intendere debet an causa à Promotore instituta sint iuste.

Van Esphen Jur. Eccl. P. III.

19 Promotor Universitatis causam suscipere nequit, nisi de excessu aut saltem de fama plene informatus.

20 Monitum S. Caroli ad Promotorem ejusque Substitutum.

21 Promotores nonnumquam proclives ad dissimulandos defectus & excessus; & quare?

22 Decretum Curiarum Ecclesiasticarum contra hunc Promotorum defectum.

23 Promotores non delinquentibus conniventes arbitrariè puniendi.

24 Promotores Curiarum Ecclesiasticarum jurant, quod excessus fideliter prosequantur.

25 Promotor Universitatis propria auctoritate cum potest componere super excessu.

26 In Gallia Promotores debent esse in sacris constituti.

27 In Belgio etiam conjugati & interdum tenuis fortunæ ad hoc officium assumuntur: & quæ hinc incommoda.

28 Curia Ecclesiastica suos etiam habet Apparitores sive Nuntios.

29 Juramentum Apparitorum.

30 Quæ fides Apparitoribus adhibenda.

31 Quæ omnia præstent qui Apparitoribus in executione sui officii resistunt.

32 Plura de Apparitoribus & Nuntiiis remissivè.

Requens in Legibus Romanis occurrit mentio Advocati Fiscis, extatque in Codice Justiniano specialis titulus *De Advocat. Fiscali.*

Dicebatur autem Advocatus Fiscis, qui causas publicas & Principis agebat; ac ideo in ordine Advocatorum excelebat; ex quo ordine ad eum honorem promoveri solebant longis experimentis ante alios spectati, ut ait *L. 3. Cod. de Advocatis diversorum Jud.*

II. Similes Advocati in hodiernis quoque Curis Regis dicuntur *Advocati Fideles*, tamquam qui ex officio patrocinari debeant Fisco sive publico Erario: vel etiam vocantur *Advocati Regis*, quia Regi sive causis Regis servant: extantque passim in Ordinationibus Curiarum varii articuli de Officio Advocati Fideles.

III. Sicuti in causis privatis intervenit non tantum Advocatus, sed & Procurator; ita Advocato Fiscis, etiam in causis publicis, jungitur Procurator, qui causas Fideles & Regias in qualitate Procuratoris prosequatur. Et sicuti Advocatus Fideles primus est in ordine Advocatorum, ita hic primum locum obtinet in ordine Procuratorum.

IV. Postquam Curie Ecclesiasticæ more & stylo Curiarum Civilium gubernari ceperunt, ipsaque jurisdictio ad normam jurisdictionis Civilis exerceri, etiam ceperunt creari Advocati Fideles & Procuratores Officii, quos hodie *Promotores* vocamus, qui causas publicas, & ad communem Ecclesiæ utilitatem spectantes suscipere & defenderent; atque earum dationem eorum iudice Ecclesiastico urgerent.

V. Nomen *Promotoris* derivatur à verbo *promovere*, eod quod officii ejus sit invigilare abusibus & insolentis delictisque quæ in Diocesi committuntur; atque de iis Episcoporum & iudicem informare, quin & oportunitum remedium, etiam judicialiter contra delinquentes agendo, expetere; uti notat Claudius Horry in Tractatu gallico *De Procuratore Curie Ecclesiasticæ*, qui habetur ad calcem libri ejusdem Auctoris, cui titulus: *Le parfait Notaire Apoligné.*

VI. Refert & ibidem formulam quæ Archiepiscopus Parisiensis Curie sue Ecclesiasticæ Promotorem constituit; & qua facile intelligitur, quas causas promovere debeat: "Dantes tibi (ait) facultatem omnes & singulas causas ad Forum nostrum & jurisdictionem nostram Ecclesiasticam, & spirituales spectantes agendi, promovendi, intervensendi & concludendi sententias, & jus super his à Domino Officiali dictæ nostræ Curie Ecclesiasticæ & spiritualis Fori, ipsaque debite executioni demandari instanti, Ecclesiasticos & alios nobis subditos delinquentes seu in crimine deprehensos & in culpa ac alios quos conveniunt citari, evocari, corrigi, puniri, mulctari, sententiarum, condemnari, absolvi, prout æquitas & Juris ordo postulaverit curandi; & generaliter omnia alia & singula faciendi, & gerendi & exercendi quæ ad hujusmodi Promotoris munus & officium de jure, usû, vel consuetudine

dine spectant & pertinent, & quæ circa præmissa necessaria & opportuna fuerint.

Similia passim Promotoribus & Advocatis Fiscalibus injunguntur.

VII. Et quidem in Statutis hujus Universitatis Lovanienfis declaratur, Advocati Fiscalis officium esse, "omnes causas Universitatis contra quoscumque prosequi, in quibus agitur de læsione alicujus privilegii tam intra, quam extra Lovanium." Hac de causa vult ut Advocatus Fiscalis "apud se habeat & incorporet omnia Privilegia, Exemptiones, Libertates, Concordata & pacta Universitatis cum Principibus & Communitatibus, Episcopis atque Prælatibus.

Eadem ex causa dicit, "quod officio ejus incumbat, venire ad omnes Congregationes ac Deputationes, & quoties Reclori libuerit, ubi scilicet aliquid de supradictis negotiis tractabitur.

Illud denique Advocato Fiscalis injungitur, "ut assistat Promotori in libellando processu Fiscalibus, contra excedentes & contra uti Edictave violantes.

VIII. Similiter declarat S. Carolus in *Instructioe Promotoris Fiscalis*, quod illorum officium etiam sit, cum sollicitudine, ne promovere causas omnes etiam Civiles, quæ ex officio tractantur, quamvis etiam assistat Pars, præsertim pro executione priorum relictorum, & bonorum Ecclesiasticorum, priorum vel locorum usurpatorum recuperatione. Idem causas quomodolibet spectantibus ad mensam Archiepiscopalis, leni, jurave spiritualia vel temporalia Archiepiscopatus. Idem de causis, ubi de Ecclesiastica jurisdictione vel libertate tuenda agitur.

IX. Hodie officium Promotorum seu Procuratorum causarum Fiscalium in Curis Ecclesiasticis præcipue consistit in detegendis & prosequendis excessibus ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinentibus.

In Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis *tit. De Promotoribus seu Procuratoribus causarum Fiscalium art. 1.* dicitur: "Omnia & singula delicta ad jurisdictionem Ecclesiasticam spectantia investigabunt, & ut puniantur, prosequantur.

X. Hoc jam pridem fuisse Promotorum officium certum est, atque evidenter supponit Consilium Novionense celebratum anno 1344, à Joanne Remensi Archiepiscopo & Suffraganeis ejus *cap. 16.* unâ declarans, "quod quam plurimorum de Dominis temporalibus & Judicibus Secularibus querimonia receperit, continentem quod nonnulli dictarum Curiarum Ecclesiasticarum Promotores, ac etiam Procuratores, ad excessus citantes eorum homines subditos, & Burgenses, varia & diversa crimina & excessus coloribus fictis exquisitos eidem imponentes, non solum in corporibus propriis, & gravi eorumdem incommodo, damnificant & saugant, sed etiam gravissimis sumptibus & expensis: nobis supplicantes ut vellemus super his providere de remedio opportuno.

XI. His ergo querelis occurrere volens Consilium subiungit, "Nos vero attendentes, juri non fore consonum quod inde nascantur injurie, unde debent jura provenire: statui-mus decernentes, quod de cætero nullus Promotorum aut Procuratorum ad excessus aliquem ex officio citari faciat, vel procedat contra eum super aliquo crimine, vel excessu, & præsertim tali ratione, cujus fama ipsius citati possit in posterum denigrari, sive scandalum contra eum suboriri, nisi verisimiliter videatur eidem, quod iustam causam habeant, contra tales procedendi, super quo tamen eorum conscientias oneramus. Et de hoc cum ad dictum officium assumentur, per juramentum astringentur, nec tunc etiam ultra primam citationem procedatur per eosdem, Officiali dicti loci inconsulto.

XII. Actiori stylo hunc Promotorum excessum, ne dicam nequitiam & tyrannidem descripsit circa idem seculum Nicolaus De Clemangis *De Corrupto Ecclesia Statu*

cap. 15. num. 1. "Dici non potest (inquit) quanta mala faciunt illi scelerati exploratores criminum, quos Promotores appellant, Simples & pauperulos agrestes vitam satis innocuam in suis tugariis agentes & fraudis urbana nescios in jus sapè pro nihilo vocant. Causas & crimina contra eos sedu-lo constringunt, vexant, terrent, munitantur: sicque eos per talia seculum componere, & pacisci cogunt. Quod si facere re-nuant, crebris eos citationibus quotidieque impetunt, & su-pra modum infestant. Quod si semel qualibet occasione præ-pediti comparere desierint, censura illico anathematis ut re-belles & contumaces feriuntur. Si verò ad diem venire, quo-ties vocati erunt, perseveraverint eorum audientias apud ju-dicum tribunalia impediunt, morasque & subterfugia dila-tionum & interlocutionum captant, quæ per facile à fo-ris Ecclesiasticis obtinentur, quo vel sic longo tædio longâ-que sui temporis jacturâ fatigati, superfuturam vexatio-nem atque impensam pecunie pactione redimere cogantur."

XIII. Optandum sanè esset, ut hi excessus & injustæ vexationes sæculis istis desissent; nec ad nostra tempora perseverassent.

Nimium ipsa quotidiana experientia evincit, quàm hoc hominum genus lucri cupiditate stimulatam, innocentissimos non raro, idque nonnunquam super fictis excessibus vexet, & scelera gravissimosque excessus dissimulet, dum facilius ab illis, quàm ab his multas aut sub prætextu compositionis aliquam pecunie summam consequi sperat.

XIV. His abusus ut occurratur, in Statutis Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis decernitur, imprimis, ut non nisi habitâ informatione, magnâque discretione aliquos super excessibus aggrediantur.

"Caveant, ne quem innocentem per calumniam in jus vocent, aut importune, vel indiscretè aliquos exagitant, defen-duntque propalant, ac accusatos seu inquisitos, præsertim Ec-clesiasticos, ante sententiam diffament, sed cum omni mode-stitia, integritate, & humanitate officium suum exercent," in-quit citatæ Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciae Mechliniensis *tit. 7. art. 3.*

XV. Additurque *art. 4.* "Quantomore etiam, antequam causam aliquam contra Ecclesiasticos aut honesti nominis personas in Judicio contradictorio tractandam exhibeant, eam prius Officiali denuntient, ut dispiciat, an eas ad se per litteras clausas evocare velit, an viâ Regiâ permittere cau-sam agi.

XVI. Ad hæc jurando promittit Promotor harum Curiarum: "Neminem citari procurabo ab officio super excessibus, nisi credidero illos veros delinquentes, & me causam iustam habere.

XVII. Utque maturius hac in parte procedatur injungunt *tit. 4. art. 2.* Advocato Fiscalis quod, singulis hebdomadibus, diebus & horis designandis, deliberabit cum Promotore de omnibus causis institutis, vel instituendis, signanter de iis, in quibus proximâ die juridicâ, vel concludendum verbaliter, aut articulis, aliave scripturâ erunt exhibendæ, informationes Promotoris visitabit, eidem consilium in omnibus dabit, & quando materiæ difficultas, scandalum, personæ dignitas, vel negotii qualitas id exiget, omnia nobis, vel Officiali referet, priusquam Promotori diem parti dicere permittet: quod nunquam etiam alias faciet, nisi Promotor instructio-nem suam, saltem summarie in scriptis ipsi Advocato id pe-tenti tradiderit.

XVIII. Insuper *art. 3.* mandatur Advocato Fiscalis: Uni-cè etiam curabit, ne per Promotorem aliquæ causæ officii, vel in scriptis, aut etiam summarie instituantur, nisi præviâ informatione, seriòque advigilabit, ne temerè aliquis vexetur, vel calumniosè in jus vocetur.

XIX. Et juxta Statuta hujus Universitatis simpliciter jurat Promotor: "Quod nullam causam contra aliquem incipiam, nisi de excessu vel delicto, aut saltem de fama fuero planè in-formatus.

XX. Ita-

XX. Itaque rectè monuit S. Carolus Promotorem Fiscalis e-jusdem loci & substitutos, ut "meminerint, se esse Procura-tores veritatis, & non debere sub ejus dypeo innocentes opprimere, vel alios esse in causa, ut quis calumniis fatigetur." In Actis Ecclesiasticæ Mediol. *parte 4. tit. De Officio Promotoris Fiscalis & substitutorum pag. 566.* edit. anni 1683.

XXI. Sicuti non raro Promotores spe lucri incitati nimis faciles sunt ut personas etiam Ecclesiasticas vitæ & conversa-tionis innocentis, suisque officiis diligenter & strenue incumbentes super quibusdam fictis aut levibus excessibus diverent; ita e contrario proclives sunt ad dissimulanda crimina enormia, publica & scandalosa, abususque gravissimos & perniciosissi-mos, dum ex illa dissimulatione, vel super iis cum Accusatis vel denunciatis compositione, lucrum sperant; vel saltem ex ipsa accusatione & actione difficultates à sceleratis criminum illorum auctoribus, aut abusu favoribus timent, & nullum aut exiguum lucrum sperant: adeo ut ad agendum aut inqui-rendum contra excessus, delinquentes ipsos non nisi lucri cupi-ditas incitare videatur.

XXII. Hunc Promotorum defectum emendare volentes Episcopi Provinciae Mechliniensis ordinarunt citato *tit. 7. art. 2.* quod Promotores "cum nemine dissimulabunt, aut componunt, sed simul atque de delictis sufficienter fuerint in-formati (in quo omnem diligentiam adhibebunt sic tamen quod in causis violationum Fætorum, similibusque aliis le-vibus excessibus, informationem in scriptis non capient) a-ctionem adversus eosdem, ex Advocati Fiscalis prævio conti-ntio, & in gravioribus causis, etiam prius obtento judicis de-creto, & non aliter, instituent; & ad finem usque legitimè prosequantur, nec eam, nisi ex ejusdem Advocati judicio, & prævio Judicis decreto, deselinquent.

XXIII. Additur *art. 3.* "Si autem Promotores delinquen-tes aliquos sciant cum quibus conniveant, & ad nos, vel Officialem non deferant, tamquam consentientes, vel saltem negligentes arbitrariè puniantur.

XXIV. Jurando in assumptione ad officium Promoto-ris promittit: "Excessus non supprimam, neque celabo, sed sed cum omni possibili diligentia prosequar, nec desistam, etiam si citatum innocentem putavero nisi id Advocato Fiscalis citatum innocentem putavero nisi id Advocato Fiscalis cali, vel Officiali indicavero, ut desuper decernat quod ratio postulat." Nullis muneribus, prece, odio, favore inducar, quo minus Promotoris munus, juxta prædicta statuta fide-liter exequar.

XXV. Similiter Promotor Universitatis jurat: "Neque super aliquo excessu vel delicto componam sine expresso consensu D. Rectoris vel Universitatis.

XXVI. Et quia Promotoris est præcipue animadvertere in crimina & excessus Ecclesiasticorum, conveniens apparet, ut & ipsi Promotores sint Ecclesiastici; uti declarat Concilium Tu-ronense anno 1533, idque præxi Regni Galliarum consonat, quæ in Promotores non admittit nisi Sacerdotes aut saltem Sacris Or-dinibus initiatos, ut refert Carolus Fevretius *lib. 4. De Abusu cap. 3. num. 29.* & post ipsum Claudius Fleury *parte 3. Instit. Juris Can. cap. 4.*

XXVII. In Belgio etiam personis conjugatis officium Pro-motoris committitur; & quidem nonnunquam personis tenuis status fortunæ; quæ dum familiam suam ex emolumentis of-

ficii intertinere coguntur, toti sunt ad lucrum intenti: at-que hinc frequens innocentium oppressio, pauperum & mi-serorum exortatio, causarum protractio, salariorum exten-sio, & denique enormium & scandalosorum peccatorum fre-quens impunitas, quàm facile similes lucrorum aucupes tole-rant, modo manus eorum impleantur.

Hi sunt, qui tribunal Ecclesiasticum adeo odiosum & vile vulgò reddunt, ut penè populo sit persuasum non ad corre-ctionem, sed pecunias habendas in crimina inquiri, & in crimi-nosos actionem institui: eo quod videant, crimina tametsi publi-ca & scandalosa manere passim impunita, dum nullum eo-rum punitione lucrum speratur.

XXVIII. Præter Promotorem aliosque Officiarios, habet quoque hodie Curia Ecclesiastica, ad exemplum Curiarum sæcularium, suos Apparitores sive Nuntios, qui ea quæ in judi-ciiis peragenda sunt partibus annuntiant, litigatores in jus vo-cant, & mandata atque sententias judicum exequantur *L. 33. Cod. De Episcop. & Cleric. L. 1. Cod. De Execut. & exat.*

XXIX. Nuntius in Curis Ecclesiasticis Provinciae Mechli-niensis jurat in hæc verba: "Fidelis ero in officio meo, nihil aliud referendo, vel rescribendo, quam per me actum erit: & omnia, quæ officio executoris incumbunt, fideliter faciam, & exercebo. Nullas pactiones, aut conventiones cum par-tibus, vel Procuratoribus, aliisque per me, vel alium faciam, pro causis protelandis, & differendis, sed mandata Curie fi-deliter & diligenter exequar, & executionem factam, juxta statuta dorso litterarum inscribam. Quoscumque excessus, per Diocesim N. audivero, Vicario generali, Officiali, Si-gillifero, seu Promotori indicabo.

XXX. Ob præstitum juramentum, iis plena fides adhibetur in iis, quæ ratione officii ex mandato judicis exequantur, & factâ executione referunt: puta afferenti apparitori, se aliquem citasse, eumque personaliter invenisse, eaque expedivisse quæ ipsi à judice mandata & commissa erant, plena adhibetur fides, nullo alio teste aut testimonio accedente; uti notant Doctores post Glossam in *Cap. CUM PARATI; De Appellat. & notoria praxis hic in Belgio tam in Curis Civilibus, quàm Ecclesiasticis confirmat. Vide Peckium in tractatu De Jure sistendi cap. 26.* ubi etiam notat, quâ pœnâ sit puniendus Apparitor, qui falsam relationem fecisse probatur. Referenti autem extra officium non creditur, uti post alios citatos notat Christinus ad Bugnionium *lib. 2. cap. 80.* sed de hoc infra latius, ubi de forma citationis, & relationis agetur.

XXXI. Ulterius quia Apparitores in executione eorum quæ sui sunt officii judicis personam repræsentant, non levi pœna puniendi sunt, & hodie puniri solent, qui Apparitoribus executionem de mandato judicis & ex officio faciendam re-actio resistunt, eisque injuriam inferunt. Vide Bugnioni-um *De Legibus abrogatis lib. 1. cap. 182.* ibique notas Christianæ.

XXXII. Plura circa Apparitorum & Nuntiorum officium, & quæ ab iis observanda sint, videri possunt in Ordinationibus Curiarum sive Civilium, sive Ecclesiasticarum; atque ex iis etiam apparebit, in utriusque penè per omnia esse idem Apparitorum & Nuntiorum Officium: e quibus tum titulo sequenti, tum sub titulo De Sententiis & earum executione plura nota-tanda occurrent.

TITULUS VII.

De Instructione Casarum Civilium.

CAPUT I.

Quando & quomodo hodierna forma litigandi forum Ecclesiasticum intraverit.

¹ *Judicia Ecclesiastica primitus sine strepitu forensi peracta.*
² *Quare Principes optaverint ut litigantes potius ad Episcopos quàm ad Judices publicos suas quæstiones deferrent.*
Van Elpen Jur. Eccl. P. III.

³ *Scopus exemptionis Clericorum & Monachorum à foro seculari fuit, ut à libris forensibus eximerentur.*
⁴ *Canones veteranes Clericis ad judicia secularia recursum, præcipue intenderunt ne essent litigiosi.*
⁵ *Referunt summarie quid olim inter judicia Civilia & Ecclesiastica inter esset.*
⁶ *Circa seculum XI. strepitus forensis in judiciis Ecclesiastica sensim introiit.*

Rrrr 2

7. Pra-